

illam, quam in arca clausam tam sollicitè servas? forte vineam illam quam inique possides? nil quidem eorum tecum auferes; omnia in hoc mundo relinques: *Queris pecuniam*, inquit Augustinus, *et relinquenda est: queris vineam, et hic relinquenda est.* Quid tulisti tecum, quando in hunc mundum venisti: tulistine aurum, argentum, et amplissimas possessiones? non. Quid ergo tulisti? nihil. Scito autem, quod sicut nihil attulisti, cum in hunc mundum venisti; ita et nihil auferes, cum ab eo exibis: *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid possimus* (1. Tim. 7). Itaque cum in morte nil tecum auferre possis, sed omnia sint relinquenda et evomenda, relinque jam et restitue quod tunc relinquendum et restituendum. Si jam ea non restituas, tunc ea restituas et evomes summo cum dolore, et sine fructu: fac ergo jam libere et cum fructu quod tunc necessario et sine ullo fructu faciendum est. Cum in inferno eris, dices: o utinam credidissem his qui mihi restituere suadebant! utinam ante mortem restituisset hunc hortum, hanc vineam, et alia quæ injuste detinebam! utinam omnia aliena simul cum fructibus eorum propriis dominis reddidissem; at vana tunc erunt omnia hæc vota: ergo fac nunc quæ tunc fecisse voles. Studiose animi tui nunc latebras discute, sollicitè scrutare quæ et quibus debes, ac omnia penitus restitue. Si autem bona temporalia in hoc mundo restitueris, æterna in alio impetrabis. Amen.

CONCIO XV.

DE MERCEDE LABORUM.

Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum (Isaïa, 27).

Peccatores plurimos, qui de conversione cogitant, vana specie rigoris, austeritatis, et laborum detertere solet satanas; illorum cordibus nocturnum infigere consuecit timorem, seu

metum quemdam, atque horrorem laborum et difficultatum, quas in via virtutis esse suadet; eoque timore nocturno conversionis illorum initia exagitat et impedit. *Primordia nostræ conversionis primus exagitat timor, quem horror vitæ ingerit arctioris, et insueta austeritas disciplina; is timor nocturnus* (S. Bern. ser. 33 in Cant.). Cum serio mente revolunt peccatores, quanta sit vitæ brevitatis, quanta mortis certitudo, quam formidanda Dei judicia, quamque terribilia inferni supplicia, a peccatis declinare et ad Deum converti desiderant: at cum deinde, inspirante spiritu tenebrarum, imaginarios qui in christiana palestra reperiuntur, labores recogitant, deficit animus, ab incepto proposito deflectunt, ac ad Deum converti negligunt et refugiunt: *Laborum timore deterriti mox refugiunt.* Optarem, aiunt, huic et illi pravo habitu valedicere; vellem ad Deum totaliter converti, peccata omnia in meipso destruere, et virtutem sedulo sectari: sed *labor me terret.* O quot timor ille, ne convertantur, impedit! quam multis vanus hic laborum metus est quasi remora, qua a sectanda perfectiori via retardantur, et arcantur! Ideo ut peccatores ad destruenda peccata, et ad generose suscipiendum laborem quia in via virtutis reperitur alliciam, velim, ut contemplantur magnitudinem præmiorum, quæ Deus his qui pro ipsius gloria laborant, in Paradiso largitur, velim ut exiguitatem laborum cum magnitudine mercedis conferant. *Ave.*

Eorum, qui pro mundo laborant, merces aliquando nulla, sæpe parva et semper momentanea. Eorum merces *aliquando nulla*, quia post multos exantillatos labores nullum eis superest emolumentum, suntque similes Apostolis, qui tota nocte laborantes nihil ceperunt. *Per totam noctem laborantes nihil cepimus* (Luc. 5, 5). Eorum merces *sæpe parva*, nil enim assequuntur, nisi terrenas quasdam opes, vel honores vanos, qui nullius fere sunt momenti, unde de illis vere dici potest, quod plurimum laboraverint, et parum intulerint. *Seminastis multum, et intulistis parum* (Agg. 1, 6). Eorum tandem merces est semper transitoria et momentanea, quia voluptates, honores et omnia quæ iis mundus impertitur, veluti umbra et quasi in momento

traneunt. *Transierunt omnia illa tamquam umbra* (Sap. 5. 9). O quam infelices, qui Dei et salutis immemores, nil non faciunt, ut mundo placeant. E contra o ter quaterque beati, qui pro Deo et propria salute sedulo laborant! labores enim quos pro Dei gloria capessimus, ficti sunt et apparentes, parvi sunt et leves, transitorii sunt et momentanei; labores nostri 1. *Apparentes sunt*, et merces vera; 2. *Parvi sunt*, et merces magna. 3. *Momentanei sunt*, et merces aeterna.

I PARS.

Labores nostri apparentes sunt et merces vera.

Morbos, afflictiones, et labores nostros veros et reales esse constat, ita tamen leves, exiles, et parvi momenti sunt, ut apparentes, ficti, et quasi imaginarii dici possint. Quod probe docet D. Augustinus, cum labores nostros, quasi somnia esse dicit: *Tristitia nostra quasi somnium transit*. Quotidiana docet nos experientia, quod in somniis, non vera, sed apparentia, ficta et imaginaria mentibus nostris sese offerre soleant. Somnias v. g. tetro carcere patrem includi, fratrem cruci affigi, amicum nuptiis interesse, te prandere, equitare, disputare, predicare, et quamdiu haec durant somnia, ea quae somnias verissima censes? Dein cum a somno excitaris, subrides, quia haec omnia imaginaria solum, ficta, et apparentia fuisse invenis. Idem quodammodo dicendum de hujus vitae laboribus, quos quidem graves, intolerabiles, et importabiles plerique censent, sed somniant, et delirant; labores enim nostri non graves, sed apparentes tantum et ficti sunt veluti somnia, quae inter dormiendum errans imaginatio nostra efformat. *Tristitia nostra quasi somnium*. Qui somnia sua enarrat, semper addit *quasi*. Videbar, inquit, *quasi* in medio fori, *quasi* in aula regia, *quasi* in navi validis ventis agitata, *quasi* prandere, equitare, disputare. *Qui somnium indicat, addit quasi; quasi dicebam, quasi loque-*

bar, quasi prandebam, quasi equitabam, quasi disputabam. Sic in sacra Scriptura cum enarratur somnium Danielis, additur *quasi*. *Et ecce quasi statua una grandis*. Sic Joseph somnium suum recensens, adhaecit *quasi*. *Vidi per somnium quasi Solem et Lunam, et stellas undecim adorare me*. Sic in libro Judicum de subinericio pane, qui in somnio visus est, dicitur. *Vidi somnium, et videbatur mihi quasi subinericius panis ex hordeo volvi*. Semper tandem in enarratione somniorum addimus *quasi*; quia quae in somniis videmus, non vera, sed omnia ficta et imaginaria sunt: *Qui somnia indicat, addit quasi, totum quasi: quia cum evigilaverit, non invenit quod videbat* (S. August. in ps. 48). Dic pariter de hujus vitae laboribus, quod sint quasi labores; quia apparentes solum et veluti somnia sunt: *Tristitia nostra quasi somnium*.

Hoc perfecte noverat D. Paulus, qui hujus vitae labores veluti somnia, et ut labores apparentes fictosve delineat: *Sicut egentes*, inquit, *quasi tristes, quasi morientes* (2, Cor. 6). Cum de seipso, ac de his loquitur, qui relictis omnibus voluntariae paupertatis onera propter Deum suscipere, non eos pauperes vocat, sed quasi pauperes: *sicut egentes*. Cum de his, quos afflictos, molestos, morore confectos censemus, sermonem instituit, non eos afflictos, sed quasi afflictos nuncupat: *quasi tristes*. Cum de iis mentionem facit, quos pro Christi gloria mortem pati videmus: non illos mortem obire, sed quasi obire ait: *quasi morientes*. Labores tandem omnes, quos pro Christi gloria in hoc mundo subimus, exprimit D. Paulus per haec verba: *sicut, vel, quasi*, ut doceat omnes hujus mundi labores, esse solummodo quasi labores, vel potius labores fictos, mentitos, apparentes, et quasi somnia: *Tristitia nostra quasi somnium*. Verum forte me somniare, et delirare dicit quis, dum me hujus mundi labores apparentes, et somniis similes asserentem audiet. Timerem et ego, ne somniatoris nomen mihi conciliarem, ni cum D. Paulo loquerer, imo et cum viro omnium sapientissimo, qui labores Martyrum, quos acerbissimos et intolerabiles credimus, apparentes et quasi imaginarios vocat. *Visi sunt*, inquit, *oculis insipientium mori, et aestimata est af-*

fictio cæcitas illorum, illi autem sunt in pace (Sap. 3, 2). Quasi dicat: homines stulti et insipientes, labores Martyrum graves arbitrantur et acerbos, in quo maxime falluntur: labores enim Martyrum acerbi fuere solummodo apparenter, quia in mediis Martyris veri et securæ pace fruebantur; *illi autem sunt in pace*. Nullus aut fictus solummodo est labor, ubi pax, et securæ quies: cum igitur Martyres in mediis suppliciiis perfecta pace fruenter, nulli aut ficti solummodo eorum labores dicendi sunt. *Quomodo non fictus labor: ubi non labor, sed requies invenitur?* (S. Bern. in sent.). In sceniciis spectaculis nonnunquam aliqua apparenter solummodo fiunt, quæ qui stulti sunt, vera esse arbitrantur. Cum v. g. ibi sit representatio Decollationis sancti Joannis Baptistæ, ille qui carnificis personam gerit caput amputasse fingit, monstraturque spectanti populo truncum illud caput adhuc palpitans, ex quo purpurei stillant sanguinis rivuli tanta arte, talique industria ut non desint pueri et insipientes, qui vere hominem decollatum fuisse censeant. Eodem prorsus modo afflicti, tribulati, et laboribus confecti videntur Martyres: cum tamen labores eorum ficti sint, et somniiati. *Visi sunt oculis insipientium mori*. Heu! si acerbissimi Martyrum labores ficti et apparentes quodammodo dici queant; quid sentiendum de laboribus nostris? Certe longe potiori jure labores nostri, labores ficti, mentiti, et apparentes nuncupandi sunt. Quod ut evidentius pateat, velim labores nostros aliquantulum conferamus cum iis quæ passus est Christus in hoc mundo, et cum iis quæ patiuntur animæ tum in Purgatorio, tum in Inferno. Gravia, inquis, pateris vel ab inimicis qui te persequuntur, vel a morbis quibus cruciaris, vel ab egestate qua obrueris; at vero dic, quæso, quid hæc et alia quæ pateris, respectu acerbissimorum tormentorum, quæ Christus in hortio, in prætorio, et in monte Calvarie perpessus est? quid hæc, eorum comparatione, quæ in mediis Purgatorii flammis animæ fidelium patiuntur? Quid hæc, intuitu pœnarum, quas in tartarea fornace æternum passuri sunt damnati? quid labores nostri respectu eorum, quos ibi perferunt Lucifer, dives epulo

et innumeri reprobi? Certe respectu eorum labores nostri ficti, apparentes, ac potius somnia, quam labores dicendi sunt. Propterea nullus deterreri debet labore, qui in via virtutis reperitur, et præcipue si inspiciat mercedem quæ laboribus nostris datur, labores enim nostri apparentes sunt, et *merces vera*.

2. Hoc præclare docuit D. Augustinus, qui cum de laboribus nostris sermonem habet, eos fictos duntaxat et apparentes dicit: *tristitia nostra habet quasi*. Cum deinde de mercede illa loquitur, quæ laboribus nostris datur, non eam fictam, apparentem et somniam, sed veram et realem vocat: *gaudium nostrum non habet quasi*. Labores sunt apparentes, et habent *quasi*, merces vero non est apparens, sed vera: *non habet quasi*; alumnis et servis suis voluptates apparentes et imaginarias dæmon in hoc mundo dare solet, in alio vero gravibus et exquisitis eos tormentis afficit. Deus contra alumnos suos in hoc mundo pro ipsis gloria aliquos vult pati labores, qui ita leves sunt, ut ficti et somniiati videantur: *habent quasi*; in alio vero mundo pro fictis hisce laboribus mercede eos præmiat non ficta et imaginaria, sed vera et reali: *gaudium nostrum non habet quasi*. Conqueruntur ex Christianis multi, magnum esse onus servandi divina præcepta, nec sine gravi labore servari posse ajunt. At si regio credamus Vati, non quidem magnus hic labor, sed fictus solum et apparens: *qui fingis laborem in præcepto*. Hic certe labor fictus, quia Deus tanta gratia, tantaque suavitate intus afficit custodientes legem suam, ut non labor, sed jugum suave, et onus leve illis sit: *jugum meum suave est, et onus meum leve* (Matt. 11, 30). Hic etiam labor est fictus tantum et apparens, imo et nullus respectu laborum quos in alio mundo animæ perferunt. Attamen fictus licet sit ille labor, merces quæ custodientibus Dei mandata datur, non ficta, sed vera et magna est: *in custodiendis illis retribuit multa* (Psal. 18). Quod de labore qui in custodiendis Dei præceptis reperitur, dicit Propheta; hoc et de omnibus hujus mundi laboribus asserit S. Cyrillus Hierosolymitanus. Perillustris hic Antistes labores nostros cum cœlesti mercede confert, et diversimode de iis loquitur: hujus enim sæculi labores non veros, sed appa-

rentes appellat; in iis ait non esse veritatem, sed similitudinem, et quamdam laborum apparentiam: *in nobis enim mortis quidem, et passionum quedam similitudo*. Cum autem de mercede loquitur, quam Deus præparavit diligentibus eum, et pro ipsius gloria laborantibus, non eam apparentem et fictam, sed veram et realem nuncupat: *salutis vero non similitudo, sed veritas*. De quo nullatenus dubitabit, qui sciet, quæ sit futura merces nostra in cælo. Vis nosse, o homo, quæ sit illa merces? audi ipsummet Deum qui Abrahamo, et in eius persona cuilibet homini ait: *ego merces tua* (Genes., 15, 1). Merces nostra Deus, cujus possessione beati erimus: merces nostra Deus quem possidebimus contemplatione et amore essentie ejus: Deus est merces nostra; Deus, inquam, et non creatura aliqua; Deus, qui omnia est, qui omnia potest, et omnia possidet, hic est merces nostra. O qualem mercedem! o mercedem veram, magnam et infinitam! *ego merces tua magna nimis*. Quare, o christiano, non te deterreat labor, qui in destruendis criminibus, et in via virtutis reperitur, cum labores nostri apparentes sint, et merces vera. Neque debet etiam te deterrere labor, qui in virtutis via invenitur; quia *labores nostri parvi sunt, et merces magna*.

II PARS.

Laboris nostri parvi sunt et merces magna.

1. Qui mundanis pacisci solent deliciis, nil non durum, nil non difficile in vita christiana se experiri dicunt. O quam durum, iniquiunt pravos habitus eradicare, ab assuetis vitiis abstinere, in via mandatorum Dei currere, et in arcta virtutis semita incedere! quam difficile, ea facere quæ Deus jubet, ea fugere quæ natura appetit, ea pati quæ quisque naturaliter refugit! Jamvero si de omnibus quæ in christiana palestra, quisque patitur recte judicemus, omnia levia, omnia facilia; omnesque labores, quos pro Deo, et æterna felicitate obtinenda sustinemus, ita parvi

sunt ut quasi nihilum videantur. Et ideo asserit Propheta, Deum nos salvare, non pro gravibus quos perpessi sumus laboribus, sed pro nihilo: quia labores nostri ita parvi et exigui sunt, ut quasi nihilum censeantur: *pro nihilo salvos facies illos* (Psal. 55, 8). Non me latet, in libro Apocalypses labores nostros magnos vocari: ibi enim habetur, unum ex senioribus dilecto Christi discipulo dixisse, sanctos in cælum ascendisse per magnos labores, et graves tribulationes; *hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna*. Scio etiam in sacra Scriptura, et apud sanctos Patres, mundi huius labores crebro magnos vocari: tamen per hoc non stat, quin possint et parvi appellari; sunt etenim et magni et parvi. Sunt quidem magni in modo loquendi hominum; *magni* respectu infirmitatis nostre, *magni* etiam sæpe in seipsis nihilo secius; sunt etiam parvi et exigui: *parvi* in comparatione penarum alterius mundi, *parvi* amantibus Christum, *parvi* intuitu gloriae cælestis, cujus respectu quasi nihilum videntur omnes hujus seculi labores: *non sunt condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam* (Rom. 3, 8). Non facile crederent multi, parvos et exiguos esse hujus mundi labores, nisi testes religiosissimos, et incorruptos produceremus: ut ergo id suadere valeam, testes adhibebo Apostolos, Martyres, et sanctos Christi Confessores, quorum vita laboribus plurimis, et tribulationibus multis conferta fuit. Ad vos me converto, o sancti Dei Apostoli; testes vos advoce: dicite, quæso, an labores quos perpessi estis in hoc mundo, graves vel leves, magni vel parvi extiterint? Loquere, o Paule, qui inter Apostolos Doctoris Gentium nomen et gloriam adeptus es. Loquere tu, qui *in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter fuisti?* die an labores quos passus es, graves vel leves vocandi sint? Eos ita leves et parvos æstimavit Paulus, ut ei placerent, ac gratissimi existerent: *placeo mihi infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, persecutionibus* (2 Cor. 12, 10). Cum Paulo idem sentiunt alii Apostoli, qui ita leves judicaverunt labores quos experti sunt, ut in mediis suppliciiis corda eorum gaudio affluerent:

ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati (Act., 5, 41). Ab Apostolis ad Martyres pergo: dicant isti, quid de hujus mundi laboribus sentiant? scimus eos lapidatos, sectos, flagellatos, cruci affixos, ac omnibus plexos fuisse supplicii, quæ fremens tyrannorum malitia advenire valuit: rogemus eos, ut quid de hujus mundi laboribus opinentur, quid de isdem dicere annuant. Dic, quæso, o Stephane Martyrtum antesignane: dic, an quid grave, vel leve tibi fuerit lapidibus obrui? Certe, ut sancta canit Ecclesia: *lapides torrentis illi dulces fuerunt*. Asserit similiter illustris martyr S. Policarpus, se in medio fornacis suave invenisse refrigerium: Sanctus Tiburtius super ardentes prunas, veluti supra odoriferas rosas incessisse confessus est: sancti Martyres Marcus et Marcellianus se majoribus nunquam deliciis affectos fuisse denuntiarunt, quam cum a carnificibus cruciarentur. Dulce tandem, et suave fuit omnibus Martyribus quævis pro Christo supplicia pati; quia in mediis suppliciis per Christum consolatione replebantur: *Sicut abundant passionibus Christi in nobis: ita et per Christum abundat consolatio nostra* (2 Cor. 1). Audiamus sanctos Christi Confessores: isti fortes in vigiliis, jejuniis, et ciliciis plus laboris persensere, quam Martyres in mediis ignibus, gladiis, rotis et flagellis? Nequaquam. Item enim leves sanctis Confessoribus fuere omnes quos pertulerunt labores, ut eos nec tangere viderentur: *non contristabit*: vel ut vertunt aliqui: *non tanget iustum quidquid ei acciderit* (Proverb. 12, 21). Ecce quid Apostoli, quid Martyres, quid sancti Christi Confessores de hujus mundi laboribus sentiant; quos quidem ita leves et parvos judicarunt, ut illos quasi nihilum reputarent: *non sunt condignæ passionibus hujus temporis*. Ideo insipientes sane censendi, quos laborum timor a destruendis in se criminibus, et a virtutis via deterret; et præcipue si mercadem inspiciant; labores enim parvi sunt, *et merces magna*.

2. Infelices dici solent pauperes, afflicti, et omnes qui in hoc mundo persecutionem patiuntur. At longe aliter loquitur suprema Veritas Christus, qui hujusmodi non infelices, sed fe-

licissimos et beatos vocat, dicens: *Beati pauperes spiritu, beati qui lugent, beati qui persecutionem patiuntur* (Matth. 5). Hac beatitudine potiebantur Apostoli, quibus dicebat Christus: *Beati estis, cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me* (Ibid.). Sed heu! qualis hæc beatitudo! Unde beati qui maledicti affliguntur? Unde beati Apostoli cum hominum persecutionibus subduntur? Beati sunt respectu mercedis cœlestis, quæ eis dabitur. Si enim maledicta et persecutiones æquo animo propter Deum in hoc mundo pertulerint, pro his laboribus qui parvi sunt, maxima eis impendetur merces in cœlo; et ideo subdit Christus: *gaudete, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis* (Ib.). Parvi sunt labores nostri, vero non parva merces; exigui sunt labores, autem merces magna: *merces vestra copiosa est in cœlis*. Æternam hanc mercedem Paulus, in cœlum raptus, oculo mentis cernere meruit; illam tamen verbis exponere non valuit: tanta enim est ut nullus homo, quantumvis eruditus, ejus magnitudinem explanare possit: *non licet homini loqui* (2 Cor. 12, 4). Dic, o Paule, quid sit objectum illud beatificum, quo beantur Sancti in cœlo? *non licet loqui*. Dic, quæ et quanta supernæ civitatis sint gaudia? *non licet*. Non habet verba Paulus, quibus positivo præclaram hanc mercedem delineet: ideoque de ea negative solum dixerit, dicens, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum* (1 Cor. 2, 9). Oculi hominum vident mundi magnitudinem, Solis pulchritudinem, admirabilem elementorum harmoniam, plantarum et animalium jucundam varietatem ac totam orbis terrarum machinam, quæ est ingens miraculorum naturæ theatrum; aures etiam hominum audiunt mirabilia quæ fecit Deus in Ægypto, et in mari rubro, portentosa quæ operatus est, ut homines a dæmonis servitute redimeret, et miranda quæ per Apostolos et viros Apostolicos in variis regionibus perëgit: corda tandem hominum secreta multa naturæ et gratiæ scrutantur, ac mirabilia multa concipiunt. Tanta est autem merces, quam dat Deus his qui pro ejus gloria in hoc mundo laborarunt, ut nec oculis videri, nec corde

concupi possit: *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*. Ut enim ait Augustinus, hæc merces quocumque modo ab hominibus concipi et explicari nequit; *desiderari potest, concupisci potest, suspirari potest: tamen digne cogitari, et verbis explicari non potest*. O mirabilem mercedem! cujus ut aliquam ideam det D. Augustinus, illam confert cum iis quæ Deus in hoc mundo dat non solum justis, sed etiam reprobis.

Hæc merces, inquit Augustinus, desiderari potest, concupisci potest: tamen digne cogitari, et verbis explicari non potest. O mercedem omni admiratione dignam! quæ quancumque intelligentiam transcendit mentemque sui magnitudine fatigat. Ejus magnitudinem infert etiam Augustinus ex bonis, quæ hominibus justis, simul et peccatoribus Deus in hoc mundo confert. Mundus iste est veluti carcer, a quo extrahuntur reprobi, ut deducantur ad inferos, ad quos ob scelera sua damnati sunt; et tamen iis licet inimicis, licet indignis dat Deus lucem ad videndum, odorum suavitates ad gustandum, aërem ad respirandum, sonorum varios concentus ad audiendum; terre animantia, volucres cœli, pisces maris, et arborum fructus ad reficiendum, fontes ad refrigerandum, simplicia et herbas ad curandas infirmitates, flores ad recreandum visum; et ut loquitur S. Augustinus, *singula solatia singulis malis obviantia præparavit*. Ex quo præclare infert Augustinus, magnam esse debere mercedem quam electis dat in cœlo, cum tanta sint bona quæ reprobis impertit in hoc mundo: *Quid dabit iis quos prædestinavit ad vitam, qui hæc dedit etiam eis quos prædestinavit ad mortem?* (de Civ. D. 22, 24) (1). Et ut alibi recte concludit: *si tam magna et in-*

(1) Dignum est quod legatur totum hoc caput miri illius libri de Civitate Dei, ubi sapientissimus Doctor summo acuminè disserit de presentis vitæ bonis, eorumque comparatione habitam cum bonis invisibilibus æternæ vitæ, horum præstantissime excellentiæ aliquam ideam exhibet. Juvat autem postrema hujus capituli verba hic adicere. Nature mirabilibus præcipuis ornamentis, subdit: « Hæc omnia miserorum sunt damnatorumque solatia, non præmia beatorum. Quæ igitur illa sunt, si tot ac talia et tanta sunt ista? Quæ bona in illa beata vita faciet eos sumere, pro quibus in hac misera unigenitum Filium

numera beneficia præstat a cœlo, et terra, et aëre, et mari, et luce, et tenebris, ut allecet fastidium nostrum; qualia, queso, et quam magna erunt illa bona quæ præparavit diligentibus eum? Certe tanta erunt, ut explicari et concipi nequeant: illud digne cogitari et verbis explicari non potest.

Aliquid cœlestis hujus beatitudinis in hoc mundo nonnulli ex sanctis prægustasse videntur. Hanc prægustabat Xaverius, cum cœlestium gaudiorum abundantia superfusus clamabat; *satis est Domine*. Hanc prælibabat Theresia, cum in divinorum mysteriorum contemplatione cor ejus succendebatur, et in mentis excessum rapta, omnia terrena veluti examen apum arbitrabatur: *omnia mihi examen apum esse videbantur*. Hanc etiam sæpe prægustavit Pater Seraphicus, cum Angelorum concentum audire, et extra se rapi meruit. Quid vero sunt hæc omnia respectu cœlestis beatitudinis qua fruuntur sancti in cœlo? Si una stilla sanctos adimplevit in hoc mundo; quid fiet, quando torrente voluptatis potabuntur in cœlo; *torrente voluptatis tue potabis eos?* (Psal. 35, 9). Si extra se rapti sunt Sancti in hoc mundo, cum unicam spiritualium deliciarum guttulam degustarunt; quid fiet in cœlo, cum inebriabuntur ab ubertate domus Dei: *inebriabuntur ab ubertate domus tue?* (Ibid.). Si tandem tam insolitas invenere voluptates in hac lacrymarum valle; quales debent esse deliciæ regni illius pacifici, in quo omnia bona? quanta ibi pax; quantum gaudium; quanta merces? Tanta uti-

sum voluit usque ad mortem mala tanta perferre? Unde Apostolus de ipsis in illud regnum prædestinatis loquens. *Qui proprio, inquit, Filio non percipit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non et cum illo omnia nobis donabit?* Cum hæc præmissis complebitur quid erimus? quales erimus? Quæ bona in illo regno accepturi sumus, quando quidem, Christo moriente pro nobis, tale jam pignus accepimus? Qualis erit spiritus hominis nullum omnino habens vitium, nec sub quo jaceat, nec celet, nec contra quod saltem laudabiliter dimicet, pacatissima virtute perfectus? Rerum ibi omnium quanta, quam speciosa, quam certa scientia, sine errore aliquo vel labore, ubi Dei sapientia de ipso fonte potabitur cum summa facilitate, sine ulla difficultate? Quale erit corpus, quod omni modo spiritui subditum et eo sufficienter vivificatum nullis alimoniis indigebit? Non enim animale sed spirituale erit, habens quidem carnis sed sine ulla carnali corruptione substantiam ».

quæ hæc omnia in cœlo sunt, ut a nobis explicari nequeant: *illud digne cogitari, et verbis explicari non potest.* Itaque, o peccator, cum labores nostri parvi sint, et merces magna, non te deterrere debet labor, qui in vita christiana invenitur: neque debet etiam te deterrere, quia *labores nostri momentanei sunt, et merces æternâ.*

III PARS.

Labores nostri momentanei sunt, et merces æterna.

Tanta est damnatorum infelicitas, ut supplicia omnia quæ in inferno patiuntur, æterna sint: ibi patiuntur famem æternam, sitim æternam, et ignem æternum; *discedite a me maledicti in ignem æternum* (Matth. 25, 41). Labores et mala quæ in hoc mundo sustinemus, aliter sunt nature et qualitatis; quia non in perpetuum durant, et cito transeunt: *præsentia mala sine dubio transitoria sunt* (S. Aug.). Tametsi per totum vitæ tuæ tempus patiaris facultatum jacturam, infirmitates corporis, famæ dispendium, patriæ exilium, persecutionem inimicorum, parentum derisionem, imo et ipsiusmet quoque Dei contradictionem, hæc omnia transeunt, ac ita cito transeunt, ut unico momento durare videantur. Quia de hujus vitæ laboribus, sicut de deliciis loquendum est; momentaneæ autem sunt hujus vitæ voluptates: *momentaneum quod delectat*, inquit S. Augustinus; ergo momentanei etiam dici debent omnes labores, quos in hoc mundo subimus. Ut Christum tentaret satanas, duxit illum in montem excelsum et inde, ut refert S. Lucas, *ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis.* Quomodo ostendit Christo omnia mundi regna *in momento temporis*? Videbatur, unum saltem requiri momentum ad ostendenda ei regna quæ in orientali plaga sunt; aliud momentum ad ostendenda ea quæ sunt ex parte Occidentis; aliud, ut ostenderet ea quæ ex parte Meridici; et aliud, ut ostenderet ea quæ ex parte Septentrionis: quomodo ergo ait Evangelista demonem ostendisse Christo

omnia mundi regna *in momento temporis*? Mysterium aperit S. Ambrosius dicens, demonem Christo omnia mundi regna in momento ostendisse; quia *in momento cuncta prætereunt.* Quare non diuturnos censeas labores quos pateris; momentanei enim sunt, et non secus ac *alia in momento prætereunt.* Quod ut clarius et evidentius pateat: dic, rogo, quid nomine laboris, et tribulationis tuæ intelligis? Non aliud nomine laboris tui intelligere potes, quam vel quod alias passus es, vel quod nunc pateris, vel quod in futuro passurus es. Labores autem tui dici nequeunt, quæ olim passus es, quia labores hi jam non sunt, et ut ait Seneca, *quæ retro sunt, mors tenet.* Non etiam labores tui dici possunt, quæ imposterum te passurum arbitraris, quia nondum illa pateris, nec forte illa unquam patieris; superest, ut labores appelles tuos, eos solummodo, quos nunc, seu in tempore præsentis pateris; præsens autem tempus est solum momentaneum: *præsens tempus non dicitur longum, quia caret spatio, et in puncto præterit* (Aug. 2. Confess. c. 18). Et ideo labores tui non diuturni, sed momentanei dicendi sunt. Quod præcipue verum comprobatur, si labores tuos cum æternitate conferas: omne enim tempus est quasi momentum, et omnia quæ patimur sunt momentanea respectu æternitatis: quapropter labores nostros, non annuos, non biduos vel triduos, sed momentaneos vocat Princeps Apostolorum, dicens: *modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus.* Non ait, labores nostros pluribus diebus, vel pluribus mensibus durare; sed *modicum nunc*, seu uno momento. Hoc et alius asserit Apostolus, nempe Doctor Gentium, qui labores et tribulationes nostras, non diuturnas, sed momentaneas vocat: *momentaneum et leve tribulationis nostræ* (2. Cor. 4, 17). Eodem modo de laboribus nostris loquitur Paulus, quo geographi de terra loqui solent. Scimus, terram hanc quam pedibus calcamus, tantæ molis esse, ut supra septem leucarum millia circuitus ejus protendatur; geographi tamen dicere solent, totum terrarum orbem respectu cœli esse quasi punctum. Eodem prorsus modo D. Paulus, hujus mundi labores, quantumvis diuturnos, respectu æternitatis momentaneos vocat: *mo-*

mentaneum et leve tribulationis. Audimus aliquos dicentes, se a pluribus annis podagra, feбри, vel alio aliquo morbo laborare: *momentaneum*. Dicunt alii diuturnam se ab inimicis persecutionem passos: *momentaneum*. Narrant alii quadam cum animi sui oblectatione varias tribulationes, quas a multo tempore pertulerunt: *momentaneum*. Omnes tandem labores nostri momentanei sunt: itaque, o peccator, non te deterreat labores, qui in momento transeunt. Certe te terrere non debent, et præcipue si inspicias mercedem: labores enim momentanei, et merces æterna.

2. *Momentaneum*, inquit D. Paulus, et leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis (2. Cor. 4, 17). Pro momentaneo labore, non momentanea solum imponditur merces, sed æterna. *Momentaneum*, ecce laborem: *æternum*, ecce mercedem. *Momentaneum*, ecce quod pateris: *æternum*, ecce quomodo præmiaberis. *Momentaneum*, ecce diuturniores hujus vitæ labores: *æternum*, ecce breviores et compendiosiores cœli mercedem. Sic præfata D. Pauli verba explanat Hugo Cardinalis, dicens, momentaneas esse omnes hujus mundi tribulationes; mercedem vero quam speramus, esse æternam: *tribulatio modica et momentanea, remuneratio magna et æterna*.

Hortatur nos Vates regius, ut labores quibus, Deo volente, in hoc mundo affligimur, æquo animo sustineamus: *confortetur cor tuum, et sustine Dominum* (Psal. 26, 14). Cur affligentem nos Dominum sustinere debemus? Eum sustinere debemus, tum quia bonus, tum quia justus, tum quia plura et majora pro nobis passus est; tum quia ob peccata nostra gravioribus dignissimus supplicis: sed eum specialiter sustinere debemus, ait Augustinus, quia si ex Dei ordinatione ad momentum in hoc mundo affligimur, pro momentaneis hisce laboribus, quos pro Dei gloria sustinebimus, æterna mercede præmiabimur: *Ad tempus laboras, in æternum non laborabis; brevis est molestia tua, æterna erit beatitudo tua; ad medicum doles, sine fine gauderis* (in Ps. 26). Ecce momentaneum laborem, et ecce mercedem æternam.

Hoc præclare nos docuit Isaias, seu potius Deus per Isaiam, dicens: *In momento indignationis abscondi faciem meam pærumper a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui*. Tribulationes nostræ limitatæ sunt in momento indignationis: gloria vero erit sine termino, et in misericordia sempiterna misertus sum tui. Afflictiones nostræ finem habent, in momento indignationis; cœlestis vero felicitas sine caret, et in misericordis sempiternis. Labores tandem nostri sunt momentanei, in momento indignationis: merces vero est sempiterna, et in misericordis sempiternis. O quam transitorii labores nostri, qui momentanei sunt! O quam diuturna merces, quæ perpetua est. Gloriam et mercedem cœlestem in tribulatione latere ait Doctor Mellidius: *latet gloria, fratres mei, abscondita nobis est in tribulatione*. Cum quis febrī laborat, pestifera lue affligitur, paupertate premitur, a tyranni dire excipitur, vel alia aliqua pro Dei amore patitur, nihil gloriosum in eo cernunt oculi nostri: latet tamen aliqua gloria sub his tribulationibus, si patienter propter Deum perferantur: *latet gloria, fratres mei, abscondita nobis est in tribulatione*. Quæ est illa gloria, quæ in tribulatione latet? in momentaneo hoc, subdit Bernardus, *latet æternitas*: in tribulatione quæ momentanea est, æterna latet gloria: in momentaneo labore sempiterna absconditur merces; quia qui momentaneos hujus mundi labores æquanimiter propter Deum patitur, æternam mercedem in celo percipiet. O qualem consolationem! et quis labores qui in virtutis via occurrunt, perferre renuet, si æternam hanc mercedem inspiciat, et serio perpendat?

Hæc consolatio Arcadium nobilem virum, in exilium proscriptum, sanctus Antonius Constantiensis Episcopus ad æquo animo exilii gravitatem perferendam incendebat, dicens: o Arcadi, *quantum tempus est, quo pugnaturus es? et quantum tempus erit, quo in æternum victurus eris?* quasi dicat: Tempus quo exilium passurus es, breve est, transitorium est, momentaneum est: regnum autem, et merces quam percepturus es, non momentanea, sed æterna erit. O potentissimum ad perferendos hilariter quoslibet hujus vitæ labores motivum! hoc,

quæso, motivo accendantur corda vestra ad strenue subeundos omnes labores, qui in vita christiana sese offerunt. Durum tibi, o peccator, hoc et illud agere, ut ad Deum vere convertaris, et ut christiane vivas; jamvero ut quidquid durum et laboriosum in virtutis semita occurrit, genere suscipias, memento, quod labores qui in via virtutis inveniuntur, apparentes sunt, et merces vera; parvi sunt, et merces magna; momentanei sunt, et merces æterna.

Cum S. Symphorianus ad martyrium duceretur, sequebatur eum piissima mater; et ut ad generose perferendos martyrii dolores illum accenderet, clamabat: *Nate, nate, memento vite æternæ.* O peccator, tædet vos christiane vivere, ad Deum converti, et virtutis viam sectari pertimescitis, quia terret vos labor, qui in christiana vita reperitur? euge paratam vobis inspicite mercedem. Mementote, quod pro labore apparente mercedem veram, pro parvo labore mercedem magnam, et pro momentaneo labore mercedem accepturi estis æternam. Suscipite ergo apparentes, parvos, et momentaneos labores, qui in virtutis via occurrunt, et mercedem veram, magnam, et æternam percipietis in cælo. *Amen.*

CONCIO XVI.

DE DEI VOLUNTATE CIRCA HOMINUM SALUTEM.

Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum (Isaia 27, 9).

Si quis unquam in doctorum hominum conspectu vere non parva dicturus merito extimuit, ea mihi hodie conditio; ut nisi rei, loci, temporis, mæque imbecillitatis sim oblitus, non solum timere oporteat, verum etiam diffidere, ne hunc locum ornatissimum temere videar occupasse, meque muneri multo majori,

quam meæ ferant vires, obtulisse. Altissimam enim, et generalem Dei voluntatem circa omnium salutem explanaturus et probaturus huc consendi: cuius rei explicatio sanctorum Patrum, Doctorum omnium, ac subtilissimorum quarumlibet Theologorum varie torsit animos: et cuius elucidatio non tam hominis, quam supremi Numinis opus esse videtur. Quare merito temerarius cuiusque conspectui vidori possem, nisi necessitas, cui ne Deus quidem immortalis repugnat, me tam arduam provinciam adire coëgisset, et nisi impii ad hanc materiam pertractandam aliquo modo compulsissent. Cum enim impium aliquem ad destruenda peccata hortamur, renuit ille, dicens: Tot perpetravi crimina, ut nulla mihi sit spes salutis: a Deo jam destitutus sum: Deus meæ oblitus est salutis, de ea non curat; ac proinde inutile foret, quod innumerabilium, et gravissimorum peccatorum meorum destructionem jam susciperem. Obmutescere, o peccator, ne ultra adversus immensam Dei bonitatem blasphemias; potius vires et animum resume, accinge te operi, ac tuorum destructionem scelerum generose suscipe, quia, ut jam probabimus, tuam et omnium penitus hominum Deus vere vult salutem. *Ace.*

Non est aliquis peccator ita excæcatus, et obduratus, a quo si petatur, an salvari velit? qui non respondeat: *volo.* Sua destruere scelera negligit impius, in iis perseverare vult, de penitentia facienda non curat; et tamen quærenti an velit salvus fieri? respondet: *volo.* Dic autem, quæso, impie, quomodo salvari cupias? Visne hoc sincere vel fecte, ardentem vel negligentem, efficaciter vel ineffaciter? Salvari vis, inquis: dic quomodo? Visne salvari sincere? heu! salutem tuam non vere vis, sed velle fingis. Visne ardentem salvari? heu! quidquid agis, negligenter agis. Visne salvari efficaciter? heu! quam pauca facis, et perfecta operaris pro salute tua! O peccator, si recte de teipso judices, vis simul et non vis salvari: hoc vis voluntate fecta, et, non vis voluntate vera: hoc vis voluntate remissa, et non vis voluntate ardente: hoc vis voluntate inefficaci, et non vis voluntate efficaci. Non sic autem Deus, non sic; vult enim ille sincere, quod tu fecte et in specia; vult ille ardentem,

quod tu segniter et negligenter; vult ille efficaciter, quod tu ineffaciter et oscitanter. Ut enim jam videbimus, omnium penitus hominum Deus salutem vult 1. Voluntate sincera; 2. Voluntate ardente; 3. Voluntate efficaci.

I PARS.

Deus vult omnium salutem voluntate sincera.

Deus non vocatur Pater ultionum, et judiciorum, sed *Pater misericordiarum* (2 Cor. 1, 3); quia licet non minus justus sit, quam misericors, omnibus tamen hominibus in hoc mundo viventibus misericordiae suae viscera aperit; tantaque ejus in illos est bonitas et misericordia, ut omnes penitus, nullo excepto, vere et sincere salvare velit. Unde qui pereunt, sua culpa pereunt; nec Deus, sed ipsi sunt perditionis suae causa: *Perditio tua Israel* (Ose. 13, 9). Ex te, scilicet, non autem a Deo, qui neminem vult perire, et qui omnes salvari vere et sincere vult. Non vult Deus perire idololatrias, qui diis ligneis et lapideis thura adoleverunt; non Judaeos, qui Christum patibulo medium duos inter latrones affixerunt; non haereticos, qui altaria spoliaverunt, templa diruerunt, et Sacramenta profanarunt; non impios, qui in Deum et sanctos blasphemias evomerunt; non alios quascunque peccatores, qui legem ejus violaverunt, *nolens aliquos perire*; non vult Deus, ut aliquis, quantumvis impius, et venia indignus pereat. Quid ergo vult Deus? quae ejus voluntas erga homines? Non vult quod quis ex illis pereat; imo optat, ut omnes poenitentiam sectentur, et salvi fiant: *nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam, reverti* (1 Petr. 3). Hoc ipse Deus apud Ezechielem prophetam solenni juramento confirmat: *Numquid, inquit, voluntatis meae est mors impii? Quasi dicat: forte creditis, quod aliquos solummodo ex hominibus quos creavi, salvare velim, alios vero omnes damnare intendam? fallimini: non enim haec mea est voluntas, sed omnes penitus salvos fieri volo, ac juro, quod nec ipsorum etiam*

impiorum, qui me toties sceleribus suis offenderunt, mortem et damnationem velim: *Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat* (Ezech. 33, 11). Impius ille qui toties gemitatis sceleribus majestatem meam offendit: ille impius qui sapientiae meae thesauros, justitiae meae supplicia, et misericordiae meae beneficia contempsit: impius ille qui gratias intus moventes, praedicatorum monita, sanctorum exempla, Sacramenta oblata, et omnia Ecclesiae meae bona parvipendit: ille, ille impius aeterna morte et suppliciis sempiternis dignus est: atamen jurejurando obtestor, me nec etiam sceleratissimorum quorumque impiorum mortem velle, e contra optare plurimum, ut omnes convertantur, et vitam aeternam obtineant: *Vivo ego, dicit Dominus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat*. Audite Dominum, non solum asserentem, verum etiam jurantem, se ita omnium hominum velle salutem, ut nec ipsos impios damnari velit: audite illum, et ei juranti credite: *Juravit Dominus, ut si non credamus promittenti Deo, credamus saltem pro nostra salute juranti* (S. Chrysost. in e. 33 Ezech. v. 11). Generalem hanc et sinceram voluntatem salvandi omnes homines indicat Deus, cum veluti Pater misericors, omnes vocat, et ad veniendum invitat: *Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos* (Matth. 11, 28). Non hunc vocat, et illum respicit: non aliquos solum ad veniendum invitat, sed omnes: non vult solum salvare aliquos ex amicis, vel aliquos tantum scientia, nobilitate, aut sanctitate illustres, sed omnes penitus, nullo excepto: *Non dixit hunc vel illum, sed omnes* (S. Chrysost. hom. 39 in Matth.). D. Paulus ad Timotheum scribens, rogat eum, ut preces fieri curet *pro omnibus hominibus*; cujus rei rationem subdit, dicens: hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo, *qui omnes homines vult salvos fieri*. Quasi dicat; o Timothee, Deus Paradisum non fecit pro his tantum quos specialis Spiritus Sancti gratia ad monasteria traxit; non pro his solum quos duxit in solitudinem, ut ad eor illorum loqueretur: non pro solis Apostolis, qui relictis omnibus secuti sunt Christum;

non pro solis Martyribus, qui *ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt* (Haeb. 11, 16); non tandem pro solis virginibus, quae sequuntur Agnum quocumque jerit; vel pro iis solum sanctis, quorum vita prodigium multis facta est: sed pro omnibus, quia omnes *homines vult salvos fieri*. Non aliquos dumtaxat, sed omnes nullo excepto; *omnes sine ulla limitatione et restrictione*. Sic praefata Apostoli verba explicant sancti Patres: *sacrorum praefectus*, inquit S. Dionysius Areopagita, *omnes homines salvari cupit*. D. Hieronymus ait: *Vult Deus ea quae sunt plena rationis, culti salvare omnes*. Alia multa his similia leguntur apud sanctos Patres. Licet autem ex sanctis Patribus nobis non innotesceret praefata D. Pauli verba intelligenda esse de omnibus hominibus sine exceptione; ipsa Apostoli verba, si attendantur antecedentia et consequentia, de omnibus penitus hominibus eum loqui convincunt. Vult enim ibi D. Paulus, ut orationes flant pro omnibus, nullo excepto; cuius rei rationem adducit: *Quia Deus vult omnes salvos fieri*: ergo sicut vult D. Paulus, ut oremus pro omnibus, nullo excepto; ita et certum est quod Deos velit omnes salvos fieri, nullo excepto. Quod praeclear confirmat D. Paulus, cum Christum non pro aliquibus solummodo, sed pro omnibus penitus hominibus redimendis et salvandis semetipsum tradidisse asserit: *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Ex quo D. Pauli loco infert Hugo Cardinalis, Deum velle ut omnes salvi fiant: Dedit, inquit, redemptionem semetipsum pro omnibus; *et ita omnes vult salvos fieri*. At ex his D. Pauli verbis inferendum etiam, quod Deus non ficit, sed vere et sincere omnes salvari velit. Sicut enim non est qui non credat sanctum Paulinum et alios nonnullos sanctos vere et sincere voluisse redimere illos captivos, pro quorum redemptione illi semetipsos tradiderunt: ita certum et evidens est, Deum sincere omnium hominum velle redemptionem et salutem, cum seipsum pro omnium redemptione et salute dederit: *dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Miramini Deum, qui ita sincere omnes homines salvari vult, ut omnes ad se vocat, ut pro omnibus redimendis

seipsum tradat, ac asserat et juret se ita omnium optare salutem, ut nec unicum impium perire velit. Vult quidem sincere Deum, omnes homines salvari: heu! tamen pauci ex hominibus vere et sincere salvari volunt. Dicunt, se salvari velle; dictis autem non concordant opera; asserunt se salutis desiderio teneri; sed ea quae salutis suae sunt, non faciunt: protestantur, se suam multum optare salutem; et tamen blasphemis, usuris, impudicitis se dedunt, in peccatis perseverant, ac salutem contraria facere non desinunt. Hi profecto vere et sincere salvari nolunt; si enim vere salvari vellent, Dei mandata servarent, et media ad salutem idonea sumerent. Vis salvari? inquit Christus, *serva mandata*. Haec est salutis regula; hanc tenere debent qui vere salvari cupiunt: ideo si vere salvari concupiscitis, Deum adorare, parentes honorare, inimicos diligite, ac omnia mandata servate. Si ea servare satagitis, vere salvari vultis; si ea servare renuitis, non vere salvari vultis. Jamvero pauci mandata Dei servant; ac proinde pauci vere salvari volunt, et pauci salvantur. Omnes salvari velle dicunt, at volunt nolentes, simulque volunt et nolunt: *cult et non vult piger* (Prov. 13, 4). Cum ab iis quaeritur, an salvari velint, respondent: *volumus*; si vero instamus ut huic et illi peccato abrenuntient, ut hoc et illud Dei praecipit servent; hoc facere nolunt; vellent salvari, media tamen salutis sumere nollent. Hoc autem proprie loquendo, nihil aliud est quam non velle vere et sincere salvari. Sicut is nollet vere adire Parisios, qui non viam qua Parisios itur, sed viam penitus oppositam teneret: ita et is non vere salvari vult, qui non per viam, qua ad caelum itur, imo per oppositam incedit.

Fratres, obsecro vos, ut non ficit sed vere et sincere salvari velit. Res vestra agit. Sive enim salvemini, sive non, Deus inde nec major, nec minor fiet, et tamen nostram vere et sincere vult ille salutem: quanto magis illam velle et optare debemus nos, cum inde omnia nostra pendeant. Dicite ergo et sincere dicite: *volumus salvari*; optate sincere salutem vestram, cum Deus illam velit voluntate sincera, *ac etiam velit salutem nostram voluntate ardente*.

II PARS.

Deus vult omnium salutem voluntate ardente.

Reges et terræ principes, quantumvis magni et potentes sint, servis et subditis suis egent; ac ab iis illorum potentia, gloria, divitiæ, imperiumque pendent: si enim rex populum non habeat, ubi est dominium ejus? ubi potestas, ubi gloria? At Deus ita cœli et terræ Dominus est, ut cœlo, terra, Angelis et hominibus non indigeat: sive enim hæc omnia pereant, sive non pereant, Deus semper idem in se manebit; ac semper potentiam infinitam, divitiis infinitas, majestatem infinitam et omnes perfectiones infinitas possidebit, *etiamsi omnes Angeli et homines pereant, nullo afficietur damno, cum de bonis ejus nihil desit, ipse enim est sibi totum bonum* (Abul. q. 72, in c. 18 Matth.). Licet autem Deus hominibus non egeat, et licet minor in se non esset, quamvis totum genus humanum periret, homines tamen diligit ac eorum salutem ardentem desiderat. *Quid prodest Deo si justus fueris? aut quid ei confert, si immaculata fuerit vita tua?* (Job. 22, 3), hæc nihil ei prosunt, nil inde emolumenti percipit, nec inde aliquid gloriæ intrinsece acquirit. Tamen, licet Deus sibi sufficiat, nec hominibus quomodocumque egeat, illos tanto affectu prosequitur, ut eorum omnium salutem non remisse, sed ardentem et vehementer desideret: *In Deo est voluntas vehemens cum desiderio, qua mirum in modum cupit, et vehementer desiderat nostram salutem* (Chrysol. hom. 1 in Ep. ad Eph.). Vehementem hanc et ardentem voluntatem salvandi omnes homines manifestat Deus multis nominibus quæ usurpat, ac variis loquendi modis, quibus in sacra Scriptura utitur. Aliquando enim personam gerit concionatoris zelantissimi, qui in vicis, plateis, et undique prædicat, ut omnes homines ad se vocet et salvet: *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam* (Prov. 1, 20). Aliquando se medicum

charitativum dicit, qui e cœlo descendit, ut naturam humanam per Adæ peccatum infirmam et mortuam sanet, et ad vitam revocet. Pluries se Pastorem bonum vocitat, qui hominem lapsam, veluti ovem errantem sollicitè quærit, quæ inventa gaudet, eamque non inter brachia gestat sed humeris superimpositam deferat, ut ab omnibus videatur, tamquam vigiliarum et sollicitudinis suæ trophæum. Nonnunquam se Sacerdotem et summum animum nostrarum Pontificem nuncupat, quia in hunc mundum venit, ut pro salvandis animabus nostris corporis sui Sacrificium in Crucis Altari offerret. Appellat etiam se Salvatorem, et Redemptorem hominum aliisque multis gloriatur titulis, qui omnes ad hominum salutem referantur, ut inde notum faciat, se omnium hominum ardentem optare salutem: *mirum in modum cupit, et vehementer desiderat nostram salutem.*

Christum ex itinere fatigatum rogarunt discipuli ut manducaret: *Rabbi manduca.* Quibus Christus: *ego cibum habeo manducare quem vos nescitis* (Joan. 4, 32). Quis ille cibus ita exquisitus, quo pasci desiderat Christus, qui cœlesti pabulo vesci solet? quis ille cibus quem aliis sibi oblati Christus præfert? cibus ille quem tanto affectu optat, est salus hominum, quam ardentem desiderat: *cibus eius salus mea*, inquit S. Bernardus. Cibus ille quo Christus pasci vult, non est materialis, sed spiritualis; hic cibus, inquit Theophilactus non est alius quam salus hominum, quam summopere desiderat: *Hominum salutem in hoc loco cibum appellat, ut quanta salutis nostre cura et desiderio teneatur, ostendat* (In Joan.). Cur vero salutem nostram cibum suum vocat Christus? respondet Chrysostomus salutem nostram cibum suum appellare, quia sicut concupisci solet cibus, ita Christus salutem nostram ardentem concupiscebat: *Hominum salutem hic cibum dicit, ostendens quantum desiderium habet nostre salutis. Sicut enim nobis concupiscibile est comedere, ita ei salvare nos.* Quæramus iterum cur salutem nostram cibum suum Christus nuncupet? Respondet Theophilactus, quod eam cibum suum vocet, quia tanto ardore salutem nostram desiderat, quanto famelicus cibus appetit: *Salutem hominum tanto desiderio avobat,*

quato ullus nostrum sensibilem cibum. Non semel demiratus sum, quod Christus, qui parcissimus erat, et qui mortificationem et penitentiam predicabat, Matthæi adhuc telonearii convivio interesse voluerit: Fecit ei convivium magnum Levi in domo sua (Luc. 5, 29). Cur huic convivio adest Salvator? qui cibi ad publicani huius domum eum alliciunt? quibus ibi pascitur dapihus? Erat turba multa Publicanorum, et aliorum, qui cum illis erant discumbentes. Ecce cibos Christi exquisitissimos: in hoc convivio non tam materialibus, quam spiritualibus, pascabatur cibus: ibi inquit Chrysologus, epulabatur; non cibus sed reditu peccatorum (Serm. 19). Ferula ejus erant peccatores, seu salus peccatorum quam ardentur optabat: Salutem hominum hic cibum dicit; ostendens quantum desiderium habet nostræ salutis. Murrurabant Pharisei, quod interdum Christus cum publicanis et peccatoribus manducaret: Murrurabant Pharisei et Scribæ eorum dicentes ad discipulos ejus, quare cum publicanis, et peccatoribus manducatis et bibitis? (Luc. 5, 30). Irridet Phariseos Chrysologus: quid, inquit, miramini, quod Christus cum peccatoribus manducet? Nonne scitis, eum venisse, ut peccatores salvet? num vos latet, quod ipse non venerit vocare justos, sed peccatores? Hi sunt propter quos in hunc mundum venit: hi sunt cum quibus sæpe versatur, ut eos salvet; exquisitissimi ejus cibi sunt peccatores qui convertuntur; epulabatur non cibus, sed reditu peccatorum. Epulatur oppiare Christus, eum convertuntur. Magdalena, Samaritana, Centurio, et alii peccatores, quia non minus ardentur salutem hominum appetit, quam famelicus cibum: Salutem hominum tanto desiderio acebat quanto ullus nostrum sensibilem cibum.

Ardentem hanc homines salvandi voluntatem testatur Christus regii Prophætæ ore dicens, quod in hoc mundo cucurrerit, sitiens: *cucurri in siti* (Ps. 61, 5). A summo celo usque ad terram cucurrit Christus; in hoc mundo per vicos, plateas, civitates et deserta cucurrit, ut salvaret homines, et cucurrit sitiens, *cucurri in siti*. Quæ est sitis illa, qua angebatur et ardebat Salvator? *Sitis tua salus mea*; sitiebat salutem hominum,

inquit Augustinus, eamque ardentur sitiebat et desiderabat. Postquam Crucis patibulo affixus est Christus, hæc eius increvit sitis: clamavit enim: *sitio*. Quid sitis, o Christe Salvator? *Sitis tua salus mea*; sitit et ardentur desiderat salutem omnium penitus hominum, et ideo in Cruce pro omnibus salute moritur: *dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* (1 Tim. 26). O quam magna fuit Christi sitis! Quam ardens ejus sitis exitit! Quam ardentur omnium hominum salutem desideravi! At, heu! quam negligenter et remisse propriam salutem cupiunt plerique hominum! terrenis inhiant, ad mundi voluptates anhelant; et de anime salute parum, aut nullomodo solliciti sunt. Clamat Christus, ut magno cum fervore et impetu salutem optent, et per angustam Paradisi portam ingredi conentur: *contendite intrare* (Luc. 13, 24); ipsi vero nullam sibi vim faciunt nec aliquo modo salutem suam sitiunt et desiderant. Vellent salvari: sed difficultates exsorbere, superare discrimina, labores exantlare nolunt, ut per angustam Paradisi januam intrent. Vellent salvari; verum hæc eorum voluntas ita tepida est, et remissa, ut quasi nolint. Non remisso et negligenter; verum summo cum fervore suam quisque salutem velle et optare debet; quia si non salveris, cætera omnia nil proderunt: *Quid enim prodest homini si mundum unicum suum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur* (Math. 16, 26)? Quid tibi proderit, copiosas Cresi divitias, mirandam Absalonis pulchritudinem, incredibilem Herculis fortitudinem, Alexandri Magni dominationem, ac totius mundi divitias, et delicias habuisse, si proprie salutis jacturam facias? Certe hæc nihil proderunt; ideo salutem ardentur desidera, pro salute ferventer labora. Audi tremenda Salvatoris verba, dicentis, quod veniet tempus, quo in Paradisum multi intrare cupient, et non intrabunt: *Multi, dico vobis, quærent intrare, et non poterunt* (Luc. 13, 24). Cur in Paradisum intrare non poterunt? *Non poterunt intrare*, inquit Carthusianus, *quia non efficaciter quæserunt, neque fervide optaverunt, sed pigre et negligenter*. Ut ergo in Paradisum aliquando intrare valeatis, fervide nunc et ardentur salutem desiderate, sicut Christus,

qui omnium hominum salutem ardentè desideravit: *ac etiam efficaciter.*

III PARS.

Deus vult omnium salutem voluntate efficaci.

Eos detestor hæreticos, qui de Deo ita male sentiunt, ut asserant, eum aliquos solummodo salvare velle, quibus solis gratias ad salutem necessarias impertit: aliis vero eas denegat, nec de eorum salute quomodocumque curat. Hæc doctrina a variis damnata est Conciliis, et qui eam sectantur, durius quam par est loquuntur de Deo, qui non aliquos tantum, sed omnes penitus homines salvos fieri vult: *Qui dicit Deum, certum solum numerum electorum salvare voluisse, durius loquitur, quam loquendum est de altitudine inscrutabilis gratiæ Dei, qui omnes homines vult salvos fieri* (S. Prosper in resp. 8 ad Gallos). Non sic de Deo loquuntur S. Patres, Damascenus et Chrysostomus, qui Deum voluntate antecedente et prima, omnes penitus homines salvari velle asserunt: *Præcedenter*, inquit Damascenus, *vult Deus omnes homines salvari, et regnum ejus consequi.* Et D. Chryst. ait: *In Deo alia est voluntas secunda, secundum quam eos qui persistunt in sceleribus contaminati, vult perire; et alia est voluntas prima, et secundum hanc non vult homines perire, sed salvari.* His sanctis Patribus adjungi posset D. Augustinus, qui in libro de spiritu et litera, c. 3, et 33, ait: *Vult Deus omnes homines salvos fieri; non sic tamen, ut eis liberum adimat arbitrium, quo vel bene vel male utentes justissime judicentur.* Bonus et æquitatis amans iudex antecedente et primaria voluntate, omnes amat, nullumque quantum ex se est, vult ad furcas damnari; nulli tamen tollit libertatem bene vel male agendi; et eos qui male agunt, voluntate secundaria vult punire: ita Deus, non tollit hominibus libertatem male agendi; et si male agunt, tunc voluntate secundaria eos plecti vult: voluntate tamen primaria,

et quantum ex se est, neminem damnari, omnesque salvari cupit. *Secundum hanc, non vult homines perire, sed salvari.* Antecedens et primaria hæc voluntas, qua Deus omnes homines salvari vult, non est simplex velleitas, aut voluntas quædam simplicis complacentiæ, vacua et otiosa; sed est voluntas ex parte Dei efficax; quandoquidem Deus in executionem hujus voluntatis nos creare, conservare, ac nobis media ad salutem necessaria tribuere vult: *prout, ait Doctor Seraphicus, Deus dicitur velle omnium salutem quantum in se est, et antecedenter: connotatur in hominibus ordinatio ad salutem, tam ex parte naturæ datæ, quam ex parte gratiæ oblatæ.* Idem dicit aliis verbis Doctor subtilis: *Deus, inquit, vult omnes salvos fieri, quantum scilicet ex parte sui, et voluntate sua antecedente, pro quanto dedit eis dona naturalia et leges rectas, et adjutoria sufficientia ad salutem.* S. Thomas et alii Doctores Catholici eodem fere modo loquuntur, ac asserunt, generalem hanc voluntatem, qua Deus vult omnes salvos fieri esse efficacem ex parte Dei: quatenus, virtute illius, dat omnibus auxilia ad salutem sufficientia. Et licet nunquam hac de re locuti essent sancti Doctores, nobis satis constabit eum velle omnium salutem efficaciter quantum est ex parte sua, si aliquantulum attendamus ad ea quæ pro communi hominum salute fecit. Scimus eum pro nostra salute misisse Prophetas, qui gravia passi sunt, ut homines viam salutis docerent: Prophetas propter nos vexari permisit, et in captivitatem mitti, et infici in fornacem, et innumera mala tollerare, et ipsos Prophetas fecit propter nos. Non fuit satis Deo misisse Prophetas, misit et Filium suum unigenitum, et ab æterno genitum, qui voluit humanæ naturæ hypostaticè uniri, in vili stabulo nasci, ac toto vitæ suæ tempore pro communi hominum salute indesinenter laborare. Non otiosus fuit Christus, quamdiu in hoc mundo permanisset; indesinenter oravit, prædicavit, civitates et castella peragravit, ac continue circuiti, ut homines a dæmonis servitute liberaret, eosque viam salutis doceret: *Circuibat Jesus omnes civitates et castella docens in Synagogis eorum, et prædicans evangelium regni, et curans omnem languorem et*

infirmittatem (Matth. 9, 35). Dæmon circuire non desinit, ut animas rapiat et perdat: *circuít quærens quem devoret*: Christus autem ut dæmoni se opponeret, circuire etiam voluit: *circuibat Jesus omnes civitates et castella*. Circuibat dæmon ut deciperet; Christus ut technas dæmone instructas detegeret; dæmon ut pacem mundo eriperet; Christus ut eam daret; ille, ut culpæ venenum omnibus infunderet; iste, ut omnes donis cœlestibus locupletaret; ille, ut animas depræderetur; iste ut eas lucraretur, ille, ut homines a regni cœlestis via averteret; iste, ut illos reeta ad cœlum duceret, ac omnes salvaret: *Circuít quærens quem devoret. Circuibat Jesus omnem civitatem*. Postquam toto vite sue tempore Christus circivivit, et pro hominum salute laboravit, in crucem ascendit, ut ibi pro omnibus sanguinem funderet et moreretur. Ibi expendit manus suas non solum ut justos et electos, sed etiam ut peccatores et reprobos amplecteretur: *expandi*, inquit, *manus meas tota die ad populum incredulum qui graditur in via non bona* (Isa. 65, 2). Quasi dicat: ascendi in crucem: ibique, veluti omnium Pater *expandi manus meas*, ut omnes penitus veluti filios meos amplecterer. Ibi *expandi manus meas*, veluti Pater erga omnes benignus et misericors, ut omnibus beneficerem: Ibi *expandi manus meas*, non solum ad justos qui mihi religiose serviunt; sed etiam ad peccatores et incredulos, qui legibus contradicunt; ut sciant omnes, me non solum justos, verum et peccatores, ac omnes penitus homines salvare velle. Et revera ibi Christus non solum pro justis, et electis, sed etiam pro injustis et peccatoribus mortuus est: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis* (1 Pet. 3, 18). Quis jam dubitet, eum vere et efficaciter omnium salutem voluisse?

Dicunt et fatentur omnes, tunc hominem velle aliquid efficaciter, cum media ad illud obtinendum apta et idonea sumit. Egrotus v. g. tunc dicitur efficaciter velle sanitatem, cum amariores quasque potiones facile sorbet, et quæcumque a medicis præscripta sunt, quantumvis dura et acerba, executioni sollicitè mandat. Idem dicendum de exercitu cuiusdam duce,

qui censetur efficaciter velle urbem aliquam invadere, cum eam copiis multis cingit, bellicis tormentis, quatit, ignitis ferreis globulis incendit, et aliis ad eam expugnandam mediis utitur. Ex hoc principio, quod ex se satis patet, clarissime infertur, Deum, quantum ex se est, efficaciter velle omnium salutem, cum media ad salvandos omnes homines idonea adhibeat. Audite Deum per Isaiam Prophetam dicentem: *Quid est quod debui facere ultra vince mee, et non feci?* Quæ, inquit, non feci; ex his quæ pro communi omnium salute facere debui? quæ media pro eorum salute non sumpsi, ex his quæ juxta ordinem sapientiæ meæ sumere debui. Videns omnes penitus homines in Adamo peccasse, et ideo æterna damnatione dignos: ut eos a præcipitio eruerem nisi Filium meum Unigenitum, qui pro omnibus mortuus est, qui pro omnibus propria merita obtulit, et qui omnes redemit: *æterna redemptione inventa*. Hic meus filius gratias suas omnibus meruit, Sacramenta pro omnibus instituit, Apostolos et viros Apostolicos undique misit; et alia multa pro omnium salute fecit: *Quid est quod debui facere ultra vince mee, et non feci?* Certe non solum ea fecit Deus, quæ pro salute nostra facere debebat sed etiam plura fecit, quam facere debebat pro nobis peccatoribus, pro nobis miseris et indignis. Quare fatendum, quod omnium salutem voluerit, non solum voluntate sincera et ardente, sed etiam voluntate efficaci, saltem quoad media; in quantum dedit nobis media et auxilia sufficientia, quibus si omnes bene uterentur, omnes salvarentur. Unde si qui damnentur, non Deus, sed ipsi damnationis suæ causa sunt. Si Deus, ait S. Ambrosius, omnes homines vult salvos fieri, cur non ejus impletur voluntas? *conditio latet*, inquit: seu non impletur suprema illa voluntas, qua vult omnes salvos fieri, quia voluntas hæc est conditionata. Illa enim generali Dei voluntate salvandi omnes homines, latet hæc conditio, quod scilicet ipsi salvari velint: *non vult*, inquit, *ut nolentes salventur, sed vult illos salvos fieri, si et ipsi velint*.

Ecumenius, explicans hæc D. Pauli verba: *Deus vult omnes homines salvos fieri*, ait: *si Deus vult, quare non fit quod*

vult? Si Deus vult Cainum, Judam, et pessimos quosque peccatores salvos fieri, quare non salvantur? *Quare non fit quod vult?* respondet ipse: *non fit quia illi nolunt*: ecce rationem propter quam non omnes salvantur. Verum est, quod Deus det omnibus media et auxilia ad salutem sufficientia, quibus si omnes bene uterentur, salvarentur omnes: sed quia omnes ii bene uti nolunt, ideo multi non salvantur, quia salvari nolunt, *non fit, quia illi nolunt*. Omnes quidem salvari vellent voluntate quadam vacua, inani et inefficaci; attamen nolunt ea facere, quæ ad salutem obtinendam necessaria sunt; vellent salvari, sed nolunt aliena restituere, peccatis abrenuntiare, mandata servare, virtutem sectari, et alia ad salutem necessaria peragere: salvari nolunt efficaciter et ideo non salvantur: *non fit, quia illi nolunt*. Itaque salutem vestram optate voluntate sincera, ardente et efficaci, et infallibiliter salvii eritis. *Amen.*

EXPLICIT TOMUS PRIMUS

CONTINENS CONCIONES DE TEMPORE ADVENTUS.

INDEX

CONCIO I. — De peccatis quæ in confessione occultantur	pag. 1
I PARS. — Qui gravia peccata Confessario occultant, per penitentiam non justificantur	3
II PARS. — Qui gravia peccata Confessario occultant, in extremo Dei judicio confusione operientur	7
III PARS. — Qui gravia peccata Confessario occultant, æternis inferni suppliciiis adjudicabuntur	11
CONCIO II. — De prava consuetudine	16
I PARS. — Prava consuetudo est malum grave	18
II PARS. — Prava consuetudo est malum, quod facile contrahitur	23
III PARS. — Prava consuetudo est malum, quod difficile sanatur	27
CONCIO III. — De peccatis recidivis	31
I PARS. — In mortalia relabi est commune	33
II PARS. — In mortalia relabi est grave	38
III PARS. — In mortalia relabi est periculosum	43
CONCIO IV. — De peccato mortali	47
I PARS. — Peccatum mortale Christo mortem infert	49
II PARS. — Peccatum mortale anime nostre mortem infert	53
III PARS. — Peccatum mortale operibus nostris mortem infert	58
CONCIO V. — De Dei bonitate erga peccatores	62
I PARS. — Patientia Dei peccatores expectantis	64
II PARS. — Sollicitudo Dei peccatores querentis	69
III PARS. — Affectus Dei peccatores recipientis	72
CONCIO VI. — De morte	77
I PARS. — Mors est certa, et infallibiliter venit	78
II PARS. — Mors est prompta, et cito venit	83
III PARS. — Mors est fallax, et ex improvise venit	87
CONCIO VII. — De extremo judicio	91
I PARS. — In extremi iudicii sacrificio Christus erit Sacerdos qui se vindicabit	93
II PARS. — In extremi iudicii sacrificio peccatores erunt victima, que irritabit	98
III PARS. — In extremi iudicii sacrificio pena peccatoris erit mors, que illos non trucidabit	101

CONCIO VII. — De inferni supplicij	pag. 106
I PARS. — Reprobi in inferno omnes patiuntur dolores sine ulla exceptione	107
II PARS. — Reprobi in inferno omnes patiuntur dolores sine ulla consolatione	111
III PARS. — Reprobi in inferno omnes patiuntur dolores sine ullo fructu	116
CONCIO IX. — De divina gratia	120
I PARS. — Oportet gratiam a Deo petere	121
II PARS. — Oportet gratie non resistere	125
III PARS. — Oportet Dei gratie cooperari	129
CONCIO X. — De penitentia	133
I PARS. — Ad veram penitentiam requiritur dolor cordis	134
II PARS. — Ad veram penitentiam requiritur oris confessio	139
III PARS. — Ad veram penitentiam requiritur satisfactio	144
CONCIO XI. — De peccandi occasionibus	148
I PARS. — Peccandi occasiones sunt timende	149
II PARS. — Peccandi occasiones sunt fugiende	153
III PARS. — Peccandi occasiones sunt mutande	158
CONCIO XII. — De tempore	162
I PARS. — Tempus est estimandum	163
II PARS. — Tempus est bene expendendum	167
III PARS. — Tempus est reparandum	172
CONCIO XIII. — De penitentia non differenda	176
I PARS. — Penitentia non est differenda usque ad vite finem	177
II PARS. — Penitentia non est differenda ad tempus longe distans	183
III PARS. — Penitentia non est differenda in diem crastinum	188
CONCIO XIV. — De restitutione	193
I PARS. — Aliena sunt restituenda	194
II PARS. — Aliena sunt restituenda cito	199
III PARS. — Aliena sunt restituenda totaliter	203
CONCIO XV. — De mercede laborum	208
I PARS. — Labores nostri apparentes sunt et merces vera	210
II PARS. — Labores nostri parvi sunt et merces magna	214
III PARS. — Labores nostri momentanei sunt, et merces aeterna	220
CONCIO XVI. — De Dei voluntate circa hominum salutem	224
I PARS. — Deus vult omnium salutem voluntate sincera	226
II PARS. — Deus vult omnium salutem voluntate ardente	230
III PARS. — Deus vult omnium salutem voluntate efficaci	234